



DISPUTATIO VIII.
Centuriæ Quartæ

QUÆSTIONUM

ILLUSTRIUM PHI-
LOSOPHICARUM

In Inclitâ VVitebergensi Academiâ

Proposita

PRÆSIDE

M. Jacobo Martini

Logices Profefs. Publ.

RESPONDENTE

CONSTANTINO VVECKE

RO Laubano

*Ad diem 9. April. horis à 6. matuti-
nis in auditorio collegij veteris.*

W I T E B E R G Æ,

Excudebat Martinus Henckelius,
Sumptibus Pauli Helvvigij Bibliop. Anno

M. DC. VIII.





ILLUSTRI AC GENE-
roso Domino,

Dn. IOHANNI STEPHANO
Libero Baroni ab Aversberg, Domino in
Purgstall, hereditario Carniola &
Sclaronia Camerario.

Necnon

Generosis ac nobilissimis Dominis,

FRANCISCO ADAMO,
IOHANNI ERENRICO,
à Neudegk in V Vildegk & Söß
Fratribus germanis.

Dominis suis Clem.

Hanc συζήτησιν Philosophicam
In

Debita observantia signum subjecti q̄
animi monumentum.

Dedicat, offert, consecrat.

Auth. Respondens.



QUÆSTIO I.

*An medium in demonstratione potissima
debeat esse causa, an vero
definitio?*



Non + ignavis sed diligentibus offerre sese ve-
ritatem (loquamur cum Scal. exc. 307. f. 9.)
Quis tam imprudens qui nesciat? quis tam
impudens qui neget. Sed quomodo? instrumen-
tis certis, disputationibus nempe & discussio-
nibus. Tacitis meditationibus magis nos per-
ficere, quam altercationibus Vives quidem ait. Sed verum
hoc non est, sicut enim lapidum collisione ignis, ita disceptationi-
bus veritas elicitur Scal. exer. 308. Ut igitur hanc, quæ ex Bibl^o
latitat, invenire nos quoque possimus, breviter sine ἰσχυραξία,
quæ in Philosophicis dedecet, docente Platone in Euthydemo,
collatis opinionibus, quid statuendum dispiciamus. Sunt + au-
tem dua in hac questione sibi adversantes invicem sententia.
Prior medium esse causam, non definitionem statuens ita pro-
cedit. 1. Medium + demonstrationis potissima debet explica-
re non solum quid, sed etiam propter quid, & quidem præcipue
Definitio saltem quid est rei explicat Arist. 2. phys. c. 2. 2. post.
t. 1. E. requiritur causa quæ explicat propter quid. 2. Medium
debet nos deducere in cognitionem inherentiæ passionis in subje-
cto, Zab. lib. 4. de Met. c. 15. At definitio, quatenus definitio,
non potest hoc facere, cum non sit media inter duo, Zab. lib. 4.
de Met. c. 4. Probo: Definitio ut sic solum explicat quidita-

tem rei definita, & eam abstrahit ab omnibus alijs, qua sunt
extra quidditatem. Esse autem in subiecto passionem, neq; perti-
net ad quidditatem subiecti, neq; ad definitionem passionis ita,
ut per ipsam ostendatur. E. definitio, ut definitio non est me-
dium. 3. Sic ex sua natura demonstratio pro medio defini-
tionem postularet, nunquam fieri sine ea posset: Consequens fal-
sam. E. & Antec. Nam aliquando demonstramus passionem de
subiecto per differentiam, aliquando per unam e quatuor causis, ut
docet Ari. 2. post. c. 2. aliquando etiam demonstramus posteri-
orem passionem per priorem. E. & c. 4. Auctoritate Arist.
idem liquet. Nam 1. Post. c. 2. 1. Phys. c. 1. dicit, Scire esse rem
per causam cognoscere; non vero definitionis meminit: E. de-
monstrationis, qua facit scire, 1. post. c. 2. medium sit causa. 2.
post. c. 2. docet aperte, medium & causam idem esse, & omnem
causam esse medium, quod scire sit rem per causam cognoscere, &
iterum apertius loquens medium causam esse pronunciat. Poste-
rior [†] medium statuens definitionem, nititur auctoritatibus A-
rist. & variorum interpretum. Loca Arist. ex 2. post. t. 9.
t. 95. & 97. desumit, ubi medium dicit Arist. esse λόγον, quod
vocabulum interpretatur per definitionem Zab. lib. 1. de med.
demonst. c. 9. Auctoritates interpretum quas multas & va-
rias adducit brevitatis studiosi omisimus, cum veritas prese-
renda auctoritati, Scegk. li. 1. de Med. dem. p. 12. & hac si ab
usu recedit nulla sit, Scal. lib. 3. de caus. L. L. p. 448. Nos [†]
neglectis hisce illorum auctoritatibus in priorem inclinamus sen-
tentiam, statuentes cum Zab. lib. 1. de med. dem. c. 20. &
seq. errorem non esse quidem adeo magnum integram definitio-
nem in demonstratione sumere, attamen non omnino reprehen-
sione vacare: Superflua enim erunt vocabula, qua superfluitas
vitanda. Gratia exempli: sit demonstrandum hominem esse
risibilem: Medium rationale potius, quam animal ratio-
nale erit, quia est definitio animal enim superfluum. Id vero
non negamus, precipuam aliquam partem definitionis fungi
vice medij posse, videlicet differentiam, qua tamen non sumitur,
ut pars definitionis, sed ut causa Crel. c. 2. po. Ana. Et licet de-
finitio

finitio aliqua causalis assumatur, in ipso tamen actu demonstrandi non sumitur ut definitio, sed ut causa. Ad \dagger autoritates δ Arist. $\&$ interpretum dicimus: Posse partem definitionis, quae in demonstratione adhibetur, definitionem vocari, sed nō $\&$ genus , ut Arist. in 7. Metap. differentiam definitionis nomine indigitavit, Zab. 1. de med. dem. c. 20. Averroes $\&$ alij existimant medium interdum vocari definitionem, quod sit definitio potentia seu materialiter, ut vocant.

QUAESTIO II.

An medius terminus sit compositum quid ex definitione subjecti $\&$ passionis, vel ex composita causa subjecti $\&$ passionis.

Affirmantem \dagger questionis partem ascribunt Thomā $\&$ Cajetano Dd. Con. c. 17. lib. 2. post. q. unica. contrarium tuetur Tol. 2. post. c. 9. q. 1. aliam ipsis assignas sententiā. Mediā viā incedit Rubius in log. Mexi. lib. 2. post. c. 9. Solum Cajetanū in hac opinione fuisse, Thomā verō aliter sensisse scribens. Hec \dagger sententia cuiuscumq; fuerit, falsa est, nec difficile erit eius falsitate ostendere: 1. Omnis demonstratio fit per proximā causam 1. post. c. 2. At unica tantū est proxima $\&$ adaequata causa unius effectus. Zab. 1. de med. dem. c. 15. lib. 2. po. c. 9. p. 116 0. Ergo unica etiam causa per quam fit demonstratio $\&$ per cons. compositū tale ineptum. 2. Nullum ens per accidens in scientiis locum habet δ Met. c. 2. Tale mediū est ens per accidens, constans ex rebus perfectis diversi generis. E. non est scibile, $\&$ ideo in demonstrationibus, quarū finis scientia, admitti non potest. 3. In omni demonstratione necessariū ut demonstretur maiore inesse minori, quod fit per medium Zab. 4. de meth. c. 15. Hoc autē sit assumendo unam causam primā $\&$ proximā illius effectus, non quae causa sit alterius per se $\&$ principaliter. E. causa locum medij tenens sit una, non aggregatum quid. Obicit \dagger Cajetanus: 3
Medium demonstrationis potissima non solum propter quid, h. e. causam conclusionis continere debet, sed etiā quid passionis, quae in oclusionē probatur de subjecto, approbāte Ari. ipso 2. po. c. 2. $\&$ 9.

A 2

Sed

Sed definitio subjecti licet causam passionis contineat, & ideo propter quod, minime tamen quod est ejus. Necessse est igitur definitionem passionis ei adjungere. Vnde medium fit compositum quid ex definitione subjecti & passionis. Subtilis & ratio, qua logicâ trutinâ ponderata penitus concidit. Damus, aptissimum medium esse illud, quod simul continet quid & propter quid; non tamen ejusdem, sed diversorum, nempe quid subjecti & propter quid passionis, qua re ipsa idem sunt, cum eadem definitio, subjecti sit causa propter quam ei convenit passio. Non idcirco opus est duplicem asserre causam seu definitionem cum una utrumq; officium præstet Hinc Zabara, lib. 1. de Med. demonstr. c. 17. cognoscere propter quid est & quid, idem cognoscere esse affirmat, cum per eandem causam & idem medium hæc ambo innotescant, & eam demonstrationem qua declarat propter quid est, declarare etiam quid est. Dd. & Conn. l. antea citato distinguunt inter medium simplex, unum cause genus continens & non simplex, ex pluribus causis conflatum: Quoad posterius approbant sententiam Cajetani, quoad prius verò non. Sed & quoniam simpliciter loquendo de simplicibus medijs res est intelligenda, hæc responsio seu concessio hoc in loco admittenda minime videtur propter rationes antea allatas.

QUÆSTIO III.

An Aristoteles rectè principiorum genera tradiderit?

1 Principij & acceptio seu denominatio licet juxta doctissimum Suarez disp. 12. s. 1. dist. 4. latissima sit & varijs modis possit multiplicari, ut ferè impossibile sit ad certam & scientificam rationem ista significata revocare; Aristoteles & tamen s. 2 Metap. 1. Septem constituit genera principiorum; primum Vnde motus incipit, Deinde, unde unumquodq; optime fieri potest.

potest. Tertio, unde primò aliquid fit, ita ut insit, Quarto, unde
aliquid fit, ita ut non insit, quinto modo principium dicitur id, cu-
jus electione moventur ea, quae moventur, & mutantur ea, quae mu-
tantur, sexto modo artes dicuntur principia, denique principium
dicitur, unde res primum cognoscitur. Contra hunc principio-
rum numerum varia vulgo obijci solent. Multas siquidem
principiorum species emisisse videtur Philosophus: Vt pote for-
mule, exemplare, finale: principium item numeri, & motus,
principium insuper temporis generationis, & quae sunt alia. De-
nique principium omnium maximum & primum Deum nempe,
qui ab ipso aliàs in 1. Metaph. principium & 8. phys. primum
movens appellatur. Verum si observaverimus illud Suarez
disp. 12. l. 1. dicit. 12. haut difficile erit intelligere, recte ab
Aristotele traditam principiorum distinctionem, ubi in hac ver-
ba loquitur: Aristoteles in enumerandis omnibus significatio-
bus ipsius vocis non fuit sollicitus, quod nimis prolixum & mini-
mè necessariū esset, sed eas quae velerant magis usitatae, vel ex
quibus alia facile poterant cognosci. Rebus sic stantibus, se-
ptem principiorum genera à Philosopho recte tradita esse cum
Armando de Bello visis tract. 2. cap. 238. colligimus hoc mo-
do: Principium, medium & finem in corporibus trina dimensio-
ne praeditis ex motu cognosci datum Philosophorum est: Iam cum
motus duobus modis inchoetur, uno undecumque, altero unde opti-
mè, duplex quoque principium sit necesse est, alterum unde motus
incipit, alterum unde optime. Deinde corporum magnitudine
praeditorum duo rursus constituenda sunt principiorum genera;
alterum realis esse, alterum esse cogniti: Reale complectitur
interna & externa principia, Interna sunt materia & forma,
quarum illa tum temporis sola vulgo Philosophorum erat cog-
nita. Externum est efficiens, quo diviso in efficiens naturam arte
& electione, septem erunt principiorum genera. Idem etiam ex
definitione d. antea l. ab Aristotele allata patet. Vbi principium
definit

definit id unde res vel est, vel fit, vel cognoscitur. Prius mem-
brum in duas partes dispeſci poteſt, unde res vel est ſimpliciter,
vel bene, & ſic duo erunt priora principiorum genera, ſecundum
iterum dividitur, unde res fit vel ab interno, quod tertium, vel
ab externo, quod tria ſequentia principia continet, tertium de-
niq; membrum ultimum principij genus exponit. Dilua-
6 mus † nunc ea qua pro adverſa parte ſunt allata. Ad primum
quamvis pateat ſolutio ex ſuperius dictis, apponimus tamen,
quod formale principium poſſit comprehendì ſub extremo gene-
re, cum omnia per formam ſuam cognoscantur à priori. Idem
ſentiendum de principio exemplari, hoc enim vel ad efficiens vel
ad formale reducitur, quemadmodum cauſa exemplaris, vel ad
efficientem vel ad formalem, de qua re videantur Dd. Conn.
l. 2. phyſ. c. 8. q. 4. art. 7. Fonſeca lib. 1. Metap. c. 7. q. 1. f. 5.
quam licet admittamus in arte, in naturalibus tamen ab ipſa
forma diſtinctam eſſe non cenſemus, Toletus 2. phyſ. c. 3. q. 7.
Similiter de finali ſentiendum; nam omnis forma finis gratiã.
Numeri principium, quod eſt unitas, cum ea ſit principium,
numeri ut materia, ad tertium genus revocari poteſt. Prin-
cipium motus traditur in prima ſpecie, unde motus incipit.
Quid quaſo eſt aliud motum incipere quam principium habe-
re? Cum autem tempus ſit meſſura motus, Ariſt. 4. phy-
c. 12 & tempus ex motu metiamur ibidem, & hac duo ſe invi-
cem perpetuo ſequantur Thomas in diſput. materia 5. de
conſ. rer. q. 5. arg. 15. perſpicuum eſt, quod tradito principio
motus, inſinuaturn quoq; ſit principium temporis. Quod atti-
net principium generationis, notandum quod generationis va-
cabulum in primis ſumatur dupliciter, vel pro alteratione prã-
cedente introductionem formæ, vel pro ipſa formæ introduçti-
one, Mercenarius in dilucid. p. 267. Priori modo ſi ſuma-
tur revocandum ad principium motus localis, cujus apertè hic
ſit mentio; Si verè ſumatur altero modo, principium à quo, il-
lius

lius erit privatio substantialis forma, & revocabitur ad tertium genus principij hoc est, ad materiale, quia res qua generatur non intelligitur fieri ex alia materia, quam eâ, qua privata erat formâ introducendâ. Vltimum objectum hoc modo dissolvendum: si sermo esset de eo, quod maxime proprie dicendum est principium, & ad quod cetera revocantur, solum Deum revera sub principij rationem cadere. Timplerus l. 3. Meta. c. 1. q. 5. Possumus verò Deum referre ad quintum principiorum modum: Nam & hic est principium unde sive à quo aliquid fit, effectiois vocabulo late sumpto.

QUÆSTIO IV.

Vtrum cuilibet corpori simplici una tantum latio: Cuilibet latiori unum tantum corpus rite accommodetur?

Questionem † utriusque partis affirmatam sequitur Philosophus: † Prioriorem in 1. Coeli c. 2. t. 8. ubi expresse asserit, simplicis corporis simplex est motus, & simplex motus simplicis corporis; quod etiâ apertis verbis ad memoriam revocat in 4. Coeli c. 4. & 4. phy. c. 4. & 5. unumquodq; corpus simplex peculiari gaudere loco asserens. Si E. unum locum habet, ad quem natura fertur; etiam unum motum habeat, cum motus ad locum accommodetur 1. Coeli t. 7. Posterioriorem verò legimus in 1. Coeli t. 9. ubi violentiâ contingere inquit, ut quippiam motu, qui alterius est corporis, moveatur; secundum naturam autem esse impossibile: Et eodem in loco quinarium corporum simplicium numerum ex quinario motu simplici concludit, quod etiam facit 4. Coeli c. 4. quaternarium elementorum numerum ex quaternario simplici motu secundum lineam rectam colligens. In hanc † Aristote-
B lis

lis sententiam nos quoque cum præstantissimis nostri seculi Phi-
losophis & præcipuis Aristotelis interpretibus descendimus,
3. eamque præter rationes adductas ita probamus. 1. † Corpus
simplex est, quod habet in se principium motus simplicis secun-
dum naturam Arist. 2. cœli t. 7. vel quod unicam naturam sim-
plicem habet, Zab. lib. 2. de motu grav. & lev. c. 4. seu, quod
habet in se unicum principium motus naturalis. Merc. in dil.
p. 117. Sed unica & simplex natura motus habet unum & sim-
plicem motum: Quale enim subiectum talis motus. Zab. d. l. c.
3. Et corporis simplicis unius unus tantum est motus simplex.
Similiter etiam probatur conversa: Motus unus secundum
speciem ab una simplici natura provenit, huiusque causa una &
simplex est, Zab. de natur. scien. const. c. 17. Sed una natu-
ra secundum speciem est unius tantum corporis simplicis. Igi-
tur unus motus simplex secundum speciem est unius solum cor-
poris secundum speciem. Id quod erat demonstrandum: Le-
gantur Mercenarij diluc. p. 129. & seq. 2. Si unius corporis
simplicis non una tantum erit latio naturalis simplex, gra-
via sursum & levia deorsum promiscue citabuntur Scegk. li. 1.
de cœl. p. 27. Quod qui affirmat experientia scutica dignus est,
quod verbum est. Scal. exe. 160. s. 3. conversa sic: Si unus motus
simplex pluribus corporibus erit naturalis simplicibus, plura
quoque corpora simplicia ad eundem locum tenderent, Motus
enim propter locum Arist. 4. ph. c. 1. Atqui posterius est absur-
dum, quia hac ratione fieret confusio omnium rerum. E. &
prius. Verum enim verò † quia & contrariorum redargutio-
ne contrarie rationes demonstrantur ut ait Arist. lib. 1. eth.
ad Eudem. c. 3. videamus quid adversa pars opponat, quidque
excipiat. Prima eorum instantia ita habet: Si aer esset in loco
ignis, deorsum, si in loco aquæ sursum moveretur ad proprium su-
um locum naturalem. Atqui locus sursum & deorsum differunt
specie. E. corpori uni simplici plures competunt motus specie dif-
feren.

ferentes. 2. Hanc assertionem tollit duplex motus maris; unus
elementi huius proprius, quò naturaliter deorsum movetur, al-
ter quo statis temporibus ad littora accedit & recedit, qui etiam
naturalis mari, teste Magiro lib. 4. phy. c. 5. cum à cœlesti vir-
tute, luna scilicet, proveniat, ut doctè demonstrat. Scal. exerc.
51. 3. Manifesta instantia peti potest ex duplici inferiorum
sphaerarũ cœlestium motu, altero quo ducuntur ab oriente ad occi-
dens, altero quo ab occidente in oriens, ut videre est apud
Scal. ex. 68. f. 2. & Piculomineum l. de cœlo c. 35, qui
tamen uterq; naturalis, quod perpetuus, cum nullum violentum
perpetuum Arist. 1. cœl. cont. 15. Hæ + rationes quamvis
primo intuitu ferrea videantur, eas tamen nihil contra nos cõ-
cludere mox patebit. Respondemus igitur ad 1. Quod illi
motus, si darentur, non essent specie differentes, cum non fiant à
naturis specie diversis, neq; terminentur ad loca specie diversa,
sed numero tantũ diversi, qui. n. specie diversi sunt, ij ad loca spe-
cie diversa, quia motus sortitur speciẽ à termino ad quem, quod
multis probant, Dd. Conn. lib. 5. phys. c. 4. q. 4. art. 2. & Tol.
li. 4. ph. c. 5. q. 2. neq; etiam oppositi dici possunt, quia & horum
eadem est ratio ut Merc. in dil. p. 123. Ad 2. Motum il-
lum maris qui fluxus & refluxus dicitur esse naturalem & non
naturalem: non naturalem, si præcisè secundum suam propri-
am formam spectetur; naturalem, quatenus non est contra na-
turam aquæ, eo quod ex impressione corporũ cœlestiũ proveniat,
Dd. Conn. li. 4. ph. c. 5. q. 3. art. 3. partim, quod illa, quæ fiunt
in corporibus inferioribus ex impressione cœlestium non sint
violenta aut contra naturam, licet interdum videantur esse
contraria motibus naturalibus inferiorum. Thomas in disp.
quæst. 2. de mirac. in refut. argum. 17. partim, quia mor-
talis orbis necessario necitatur cum superis rationibus, ut inde vir-
tus ejus omnis gubernetur, ex Aristot. 1. Meta. c. 2. Piculom.

de met c. 20. Ad 3. concedimus duplicem illum sphaerarum
caelestium motum: Quarentibus vero, an ambo sint naturales,
respondemus, unum naturalem esse, qui fit per propriam orbis
virtutem & animam motricem iuxta Arist. al. erum non esse
quidem secundum naturam, neq; tamen contra naturam & vio-
lentum ex Averroë Mercen. in dil. p. 122. sed præter natu-
ram, seu super naturam propriam, Pic. d. superius 1. Alij
dicunt unumq; caelestium orbium unum duntaxat esse simpli-
cem motum naturalem, alterum verò per accidens, quam ta-
men responsionem refutare videtur Scal. exer. 59. Sed cum
prima propositæ questionis pars à principis difficultatibus libe-
râjam sit, videamus ulterius, quid contra questionis alterâ par-
tè obijciat Ioh. Grammaticus. Si ista assertio vera, inquit, mo-
tus aeris & ignis, item aquæ & terræ, non erunt ejusdem speciei,
qui tamen ad eundem locum sursum & deorsum fiunt. Faci-
lis est responsio, modò servetur illud; Arist. 5. ph. c. 4. motus
speciem desumendam à termino ad quem, quod etiam superius
monuimus. Licet igitur tam aer, quam ignis moveatur sur-
sum; termini tamen ipsius sursum sunt diversi: cum luna con-
cavum sit terminus ignis, aeris autem concavum ignis, à quibus
habent naturalem suam perfectionem & virtutem, ultra quos
terminos si moventur, moventur ne detur vacuum, sed ibi na-
turaliter non quiescunt. Dt. Conn. 4. phys. 5. q. 3. Pernu-
mia in lib. de generatione element. c. 4. p. 43.

QUÆSTIO V.

An conversio cœli sit naturalis?

Motum ☿ cœlo qui denegabit, videbitur ab Astrologis, ex-
plodetur à Philosophis, medicorum etiam jussu vapulabit: mo-
tus verò hic qualis sit, naturalis ne, nec ne, multos suspensos te-
nuit. Pro affirmante stat Aristoteles 1. cœli c. 2. cujus ra-
tione 5

rationes sunt. 1. Si motus circularis competit cælo præter natu-
ram, seu ei non est naturalis, alius motus ei competet secundum
naturam, cum nihil moveatur præter naturam, quod non secun-
dum naturam 3. cœl. c. 2. t. 18. Posterius impossibile, esset e-
nim aut qui sursum, qui igni & aeri, aut qui deorsum, qui aqua
& terræ: unius vero motus simplex uni tantum corpori inest.
Motus E. circularis erit cælo secundum naturam. 2. Motus
qui competit alicui præter naturam, competit alteri secundum
naturam. Motus circularis inest elementi præter naturam.
E. alteri corpori inest secundum naturam, & cum cælo prima-
rio competat, erit ei naturalis. 3. Si motus hic cælo non esset
naturalis, plane irrationabile, eum esse continuum & sempiter-
num posse, cum videamus in alijs quæ præter naturam sunt ci-
tissime corrumpi. Videt, 9. 11. 14. & 15. Hanc & sententiam 3
Philosophi & nos sequamur, freti autoritatibus & rationibus
Aristotelis, eamq; insuper sic probamus. 1. Omne corpus na-
turale habet motum naturalem, quo non vi neq; præter natu-
ram movetur, 3. cœli c. 2. t. 20. Probo: Corpus naturale est,
quod naturam habet. Zab. de nat. cœli. 10. eamq; talem, qua-
lis definitur. 2. ph. c. 1. t. 3. quicquid talem naturam habet, mo-
tum naturalem habet: Cælus est corpus naturale, 1. cœli t. 8.
3. cœli t. 7. 8. Metaph. c. 1. & 4. 12. Metaph. c. 2. E. movetur
motu naturali. 2. Actio cuiusq; rei propria in qua ejus perfe-
ctio consistit, est ei naturalis. Motus cæli est actio ipsius pro-
pria & perfectio 2. cœli c. 12 & vita omnium corporum natu-
ralium 8 ph. 9. t. 1. E. est ei naturalis. His accedunt & alia
rationes ex forma & signa cæli petita, quas brevitatis causa
omittimus. Assertio & hæc licet ab Arist. scribatur & præstan- 4
tissimis Philosophis defendatur, haur tamen defuere qui motum
hunc naturalem non esse asseverarunt. Quorū palmaria sunt.
1. 1. Nullus motus naturalis est infinitus, natura enim maxi-
me respicit infinitum 1. gener. animal. c. 1. 4. ph. 4. Motus cæ-

illi est infinitus. Aristot 8. phys. c. 7. t. 64. cum ejus neq. prin-
cipium neq. finis. 8. ph. c. 9. t. 76. 2. Coel. c. 6. t. 35. E. non est
naturalis. 2. Motus naturalis ab initio est tardior in fine velo-
cior, 8. phys. c. 9. t. 76. 1. Coel. t. 88. Atqui motus cæli ab initio
ad finem usq. uniformis est. E. non est naturalis. 3. Motus,
qui ab externo movente pendet, non est naturalis, 7. ph. t. 10.
Motus cæli pendet ab externo principio 8. ph. c. 6. t. 52. 12. Met.
c. 8. Plato 1. de log. E. non est naturalis. 4. obijcit Scaliger
exerc. 68. s. 1. Quod movetur, puta naturaliter, movetur, ut
quiescat (perfectio enim ultima corporis naturalis quies, media
motus) non potest autem quiescere, nisi in suo loco, non igitur
movetur à suo loco, sed propter ejus adaptionem. Si igitur
cælum movetur naturaliter, in suo loco non est, & si est in suo
loco, non movebitur. At movetur. E. non est in suo loco.
At in loco sunt omnes ejus partes, quare non moventur, ut eum
occupent: necesse est igitur alio motu moveri, quam puro natu-
rali. 5. & sic opponit. Omnis motus naturalis fit ad consequen-
dam suam perfectionem in rebus naturalibus, natura enim
nihil frustra de incess. animal. c. 12. 2. de part. anim. c. 14. & li. 4. c. 13.
2. de gener. anim. c. 6. Sed cæli motu suo nullam perfectionem
consequuntur; cum non egeat perfectione cælum, qua promovea-
tur ut sic hoc quod non est, non est ei data forma naturalis ad-
movendum ut perficiatur, sed forma admovendum ut perficiat.
6. E. motus ei non est naturalis. Subtiles + he licet sint ratio-
nes tanti tamen roboris non habent, ut nos à ponte veritatis de-
ijcere possint, ideoq. ad eas respondentes dicimus ad 1. esse qua-
tuor terminos in isto argumento ortos ex equivocatione voca-
buli infiniti, quod aliter in majore aliter in minore accipitur.
Major loquitur & vera est de infinito propriè ita dicto, de quo
Phil 3. ph. c. 4. Minor de infinito impropriè ita dicto, quod du-
ratione infinitum vocatur. Omnis natura ab infinito motu pro-
priè ita dicto abhorret, & hoc modo cæli motus non est infinitus,
sed

sed infinitus quando dicitur, idem est ac si dicatur sempiternus
seu perpetuus. Ad 2. Conditiones istas non esse de ratione mo-
tus naturalis, ut naturalis est, sed motus naturalis ut rectus,
ratione medij contingentes, Pererius lib. 14. ph. c. 3. De essen-
tia verò motus naturalis est, ut proficiatur à principio aliquo,
quod est in ipsa re, quæ movetur. Perer. in prin. d. Cap. At-
qui motus naturalis cœli provenit à principio interno, ut mox
dicemus: E. est naturalis. Ad 3. Majorem veram esse de mo-
tu, qui extrinsecus accedit mobili contra naturalem ejus propen-
sionem, quem omnes appellant violentum, non verò de motu ad-
quem propensionem habet mobile. Sic motus lapidis deorsum,
prodiens ex gravitate est ipsi naturalis, etsi ab externo moven-
te proveniat, motus verò ejusdem sursum projecti à solo proy-
ciente vim habens violentus est. Pererius l. d. Quæ etiam sen-
tentia est Aristotelis 8. ph. c. 4. t. 27. ea quæ extrinsecus mo-
ventur dividuntur in ea, quæ secundum, & ea quæ præter naturam
moventur. Licet igitur motus cœli ab externo movento profi-
ciscatur, non propterea contra naturam ejus est, cum cœlum ad hu-
jusmodi motum propensionem habeat. Vbicunq; enim natura ibi
propensio ad aliquem motum naturalem, qui provenit ab aliquo
principio interno vel activo, ut in animatis; vel passivo, ut in in-
animatis. Tol. 2. ph. c. 1. q. 2. Cœlum est corpus naturale, sicuti di-
ximus: E. in eo principium & propensio ad aliquem motum na-
turalem. Hinc Alexandrum naturam in cœlo nihil aliud esse,
quàm propensionem ad certum motum judicare, refert Zab. de
nat. Cœl. c. ult. Esse verò cœlum ad talem motum propensum
iudicio est rotunda figura naturaliter apta ad talem motum, &
multis probatur ab Aristotele in 2. Cœli passim. Ad quartam
Scaligeri primam respondemus negando majorem ex Thoma in dis-
mat. s. de confer. rerum q. 5. arg. 12. Cujus verba hæc sunt.
Motus cœli est cœlo naturalis, sicut motus gravium & levium na-
turalis: in hoc autem differt, quod corpora elementaria non mo-
vantur naturaliter nisi cum sint extra suum ubi, cœlum autem
move-

move-



movetur etiã in suo ubi existens, ex quibus accipi potest, quod sicut se habet corpus elementare ad motum suum naturalem cum est extra suum ubi, ita se habet cœlum ad motum suum naturalem cum est in suo ubi, corpus enim elementare cum est extra suum ubi, non quiescit nisi per violentiam. E, & cœlum non potest quiescere, nisi quies sit violenta. *Possimus addere ex simplicio cœlum etiam suo modo quiescere ratione axis & centri, quia nec ad dextram, nec ad sinistram vergit, quo etiam modo quiescit mundus, Confer. t. 76. lib. 8. ph. Arist. Ad ultimum argumentum dicimus falsum esse, omnem motum esse ad perfectionem aliquam consequendam; patet in animantibus, quorum perfectio in vita consistit, quæ motus est. Videtur*
8 † autem Scaliger deceptus equivocatione vocabuli naturalis, (cujus significationes legimus, apud Pererium lib. 7. ph. c. 1.) quod primo opponit in ista exerc. voluntario, qua ratione concedi sine ulla absurditate potest è Merc. diluc. p. 126. motum istum non esse naturalem sed voluntarium. In argumentis verò apponit naturale non tam voluntario quam violento, ut patet legentibus.

QUÆSTIO VI.

An tactus hominis omnium sit exquisitissimus & præstantissimus?

1 *Affirmatam † questionis concludit Aristoteles 2. de Anima. c. 9. t. 94. his verbis: Quem sensum (intelligit tactum) homo exactissimum habet, in cæteris namque sensibus longè ab animalibus superatur, at tactu longè cæteris omnibus excellentius percipit, qua propter & prudentissimus est animalium, judicium autem est in homi-*

hominum genere ob hoc instrumentum sensus ingeniosos esse hebetesve, & non ob aliud quicquam; & li. 1. de hist. animal. c. 15. in fine: tactus è sensibus homini exquisitissimus, deinde gustus, reliquis superatur à multis. lib. de sensu & sens. c. 4. ab initio statim. Habemus olfactum oliorum animalium & eorum qui in nobis sunt sensuum stupidissimum, tactum autem animalium omnium exactiorem & acutiorem. Cum Arist. considerantur omnes ferme interpretes, cum quibus & nos facimus, idq; ex natura temperamenti probamus: Tactus est sensus, communissimus & aliorum fundamentum, sine quo nullum possibile alium esse sensum, 3. de anim. c. 13. t. 66. Qui si bonus etiam omnes sensus boni, dispositio & temperamentum bonum, intellectus quoq; bonus, siquidem sensuum bonitas dispositio est ad intellectus bonitatem: Coelius Rhodiginus Lect. antiq. lib. 6. c. 1. p. 185. Unde optimum ingenium cum optimo tactu conjunctum esse rectè inferitur. Sed repugnat hic nobis communis assertio qua in omni operatione sensuum à quibusdam animalibus vinci hominem dicitur his versiculis.

Nos aper auditu, linc visu, simia gustu,
Vultur odoratu præcellit, aranea tactu.

Deinde assertio medicorum, qui carne molles effæminatos & ad studia liberalia ineptos judicant, 3. sibi ipsi repugnat Arist. lib. de sensu & sens. c. 1. auditum omnibus sensibus quantum ad prudentiam & 1. Meta. c. 1. visum omnibus quoad scientiam præferens: & in probl. sect. 30. q. 1. omnes ingeniosos fuisse melancholicos scribens, qui non molles, sed duri carne sunt. Rationes hæ licet non sint admodum frigide; tamen roboris non sunt, ut nos à priori sententia abducere possint. Quamobrem respondemus ad 1. Falli & fallere vulgus, quando gustum præstantiorem simijs, & tactum exactiorem araneis, tribuit.

C

Hæc

Hac enim (de gustu nos nihil) cum sit frigida & viscosa humiditatis tactum exiguum habet. Quod verò bestiola in rete incidens motum ex templo persentiscat aranea, non propter tactum, sed prædam, quam semper & avidè expectat, accidit, tela verò cū sit continua, leviter tacta, statim movetur tota. Ad 2. distinguendo inter mollitiem: alia enim ex humido crasso & frigido constat, quæ in flegmaticis, alia extenui & temperatè calido, quæ rara. Hæc est $\pi\alpha\rho\upsilon\sigma\epsilon\iota\sigma$ ingenij boni, consistens in $\epsilon\upsilon\alpha\rho\alpha\tau\epsilon$ temperamento, illa verò minimè, de qua loquuntur medici. Evolve. Coelij Rhodig. l. d. Ad tertium distinguendo inter causam & signum, auditus & visus habent se ut cause instrumentales, facientes ad scientiam & prudentiam, cum per ipsorum cognitionem multum juvetur, quæ in parte parum præstat tactus, signum tantum boni ingenij existens, non effectrix causa. Toletus 2. de anim. c. 9. q. 24. Neq; tandem contrariatur nobis ultimus Aristotelis locus: loquitur enim ibi Philosophus non de melancholicis proprijsimè ita dictis, qui abundant atrabili, frigida, densa, sæculenta, qui plumbeo colore parumq; concoquentes sunt; sed de mixtis, in quibus melancholia mixta sanguine vero: priores omnium concessu stupidi & obtusis, posteriores ad studia liberalia apti & idonei censentur. Dd. Conn. lib. 2. de gener. & corrupt. c. 8. q. 4. art. 3. Lemnius lib. 1. de ocul. nat. c. 16.

QUÆSTIO VII.

Qui fiat quod ij, qui non assueti maritimis navigationibus facile concitentur ad vomitum?

Multi & multas easq; diversas $\zeta\eta\tau\eta\mu\alpha\tau$ & hujus afferunt causas: Alij qualitates occultas, alij æstum maris seu fluxum & refluxum, alij solem, lunam & cæteras stellas producunt. Sed
 quæ

† quoniam boni artificis non omnia persequi, ut eleganter Scal.
li. 1. de caus. L. L. c. 17. nos quoque praeceptoris monitum sequen-
tes non omnia persequamur: sed nostram sententiam paucis ex-
ponemus. Vomitum † itaque in novitijs istis nautis & vectori-
bus facile oriri ob duas potissimum causas statuemus. Prima est
factor, quem sole educendo partes subtiliores, easque in vapores ver-
tendo, relinquendoque partes crassiores & magis adustas, ut Ma-
girus 4. ph. c. 5. & Aristoteles 2. Meteor. 3. causari judica-
mus, hic inassuetis nauseam parit, nausea vomitum, quod quam
sepius fieri soleat experientia compertum. Secunda causa est
motus & jactatio perpetua; hac corpus frequenter movens, hu-
mores simul commovet, qui si redundantes, exitum quarunt,
naturaque eos qui tenuiores per vomitum, qui crassiores per se-
dem excernit.

QUESTIO VII.

Quid sint virtutes intellectuales?

Franciscus † Piccolomineus, Philosophus non ultimi
subsellij, affirmat, virtutes intellectuales, ad mentem relatas,
tantum esse relationes grad. 2. c. 8. grad. 5. c. 5. qualitates vero
vocari per vulgarem quandam denominationem, cum quo etiam
consentire videtur Johannes Regius disp. log. lib. 2. prob. 5.
de predicam p. 472. At † cum responsio imprimis ad verita-
tatem redigenda sit, Arist. 8. phys. c. 8. t. 68. & amicis veritas
preferenda 1. eth. c. 6. Philosophus quoque juxta Scaligerum non nisi ve-
ritatis finibus cogitationum suarum excursus arcere debeat: hoc
ipsum negabimus, cum D. August. & Thoma in disp. de vir-
tut. q. 1. & 2. Quoniam † si rem exacte consideramus, absur-
dum videtur nuda relatione rem hanc totam velle definire; cum
relatio sit exigua & debilis entitatis, & tantam habilitatem
aptitudinemque mentis efficere nequeat. Hoc ipsum probat Za-
barell. de spec. intel. cap. 5. virtutes inquit, harent in
intel-

intellectū nō operante phantasia & nulla existente spe-
cie in phantasia & sensu externo. E. non sunt mera rela-
tiones, siquidem aufertur relatio per ablationem termini. Quo-
circarectio (ut opinamur) fuerit intellectui habitus istos asserere,
habitumq; veram qualitatis speciem cum Toletio in cap. de
qual. q. un. clarissimis q; alijs logicis & metaphysicis constitue-
re. Cum t̄ nihil contra nos concludat. Piccolomineus, habitus
solum relationem esse, & constantiam superaddere, ideoq; non
6 qualitates esse statuens. In t̄ eo siquidem distinguuntur spe-
cies accidentium à speciebus substantiæ, quod hæ requirant inter
se distinctionem realem, ita ut una non includat aliam; istis, ut
distinctæ species dicantur, sufficit distinctio formalis, secundum
7 quam etiam diversa genera & species constituuntur. Sic t̄ itaq;
contra ipsum concludimus. 1. Relata simul sunt naturæ Arist.
in præd. ad aliquid ita ut unum absq; altero non possit existe-
re Toletus q. 2. præam. in c. 7. li. Categ. Habitus & objecta
non sunt necessario simul naturæ scibile enim prius est scientia &
hac manere potest deperdito & remoto scibili, ut probat multis
Tol. 1. d. ex Arist. E. non sunt relationes. 2. Relatio ut
ialis non est fundamentum actionis ut patet ex Arist. Categ.
relat. Habitus verò est fundamentum & principium actionis:
Sic ars est causa actionum artificialium non homo, hic namq; non
quatenus homo ædificat, sed quatenus architectus. Habitus E. non
8 sunt relationes. Definitione t̄ intellectualem virtutum constituimus
talem: Virtutes intellectuales sunt habitus animi rationalis,
quibus mens nostra affirmando vel negando verum enunciat,
9 adeoq; non fallitur. Habitus mentis dum dicimus non somnia-
mus speciem aliquam menti impressam, sed dicitur acquiram
(de qua Arist. 3. de Anim. c. 4.) ad res in phantasmatibus &
memoria servatas, sibiq; oblatas se convertendi easq; agnoscendi
illi attribuimus, quam suo quodam respectu ad relationis referri
categoriam nihil prohibet, quatenus, videlicet cum suo objecto
circa

circa quod occupatur confertur, quatenus verò est qualitas mē-
tem perficiens eamq̄ aptam & promptam redacens minimè.
Ut è Simplicio Boetio & Alberto notavit Toletus in fine q.
1. praeamb. super cap. VII. lib. prae d. Obijcis ¶ etiam per mentis 11
virtutes, sapientiam, artem, prudentiam, &c. aliquando homi-
nem aberrare. R. hoc non nisi per accidens fieri, enunciations au-
tem regula & definitiones debent intelligi per se & ita semper
vera sunt: Ex eventu autem nulla est regula vel definitio, qua
non possit esse falsa. Picc. grad. 5. c. 15. Per ¶ verum & fal- 12
sum non intelligimus illud, quod in nuda contemplatione con-
sistit, sed illud quod refertur ad actionem, Magirus lib. 6. eth.
c. 2. Habitus animi dum dicuntur subjectum illorum indigita-
tur, de quo quaramus.

QUAESTIO IX.

In qua animi parte sint virtutes in-
tellectuales?

Piccolomineus grad. 5. c. 8. inquit virtutes rationis in
phantasia recipi & memoria servari, & tunc hominem dici ha-
bitu praeditum, dum longo studio, curâ, experienciâ, iteratisq̄
actionibus phantasmata ita firmaverit, digesserit & in ordinem
redigerit, ut adlubitum valeat communes notiones mente colligere,
speculari, ac per eas vel ad actionem, vel ad speculationem dirigi.
Qua ¶ omnia, si principia respicimus Agvenhuxs 2
deq̄t̄is, verissima sunt: A sensibus enim maxima ex parte dedu-
citur per phantasmata, sed illa ulterius non elevari, sed in ipsa-
met semper haerere phantasia mirum occurrit. Statuimus ¶ nos 3
cum Scal. exer. 307. f. 21. Zab. in lib. de speciebus intell. Suar.
tom. 2. diss. 44. f. 4. Magiro lib. 6. eth. c. 3. Thom. in diss. ma-
teria de virtutibus in comm. alijs q̄ multis, non phantasia, sed
divino verum intellectualem virtutum subjectum esse.



4 Id + probamus. 1. Virtus humana non potest esse nisi in eo, quod
maximè est humanum Thom. q. 2. de virt. Virtutes intellectu-
ales sunt primaria hominis virtutes. E. non possunt esse nisi in
eo, quod maximè est humanum; Atqui talis inter potentias a-
nimæ est intellectus. Idem q. 6. de virt. E. 2. Propter quod
unum quodq; est tale, illud magis est tale. Arist. 1. post. c. 2. pro-
pter intellectus virtutes sunt in phantasia & in memoria phantasia
mata ex sententia Picc. E. magis sunt in intellectu. 3. Bonum &
verum sunt aequè nobilia. Nam se invicem circumcludunt, nam
verum est quoddam bonum, & bonum est quoddam verum, &
commune utrumq; est omni enti. Si igitur in voluntate, cuius
objectum est bonum, potest esse virtus: etiam in intellectu, cu-
jus est verum, poterit esse. Arg. est Thom. q. 7. de virt. 4. Me-
dicina debet applicari parti patienti, non alij; Atqui in intelle-
ctu est morbus, inscitia scilicet non in phantasia. E. Perfici-
tur itaq; intellectus habitibus absolute & secundum se, non ra-
tione alterius, unde sciens dicitur & intelligens is, cuius intelle-
ctus est perfectus ad cognoscendum Thom. d. 1. 5. Si non sunt in
intellectu hæc virtutes, perperam intellectus vocabuntur virtu-
tes. 5. Dicitur + rationis virtutes indigitari, non quod in mente
& ratione, ut in subjecto sint; Sed quia officium mentis & ra-
tionis est usuti. Verum scias hac ratione omnes virtutes men-
tis dici posse, neq; opus divisione, quâ in intellectuales & mora-
les dividuntur. 6. Si + phantasia tantum recipit illas virtutes;
ratione phantasia exit homo sapiens, non ratione intellectus, &
per consequens etiam bruta erunt rationalia, quod quibusvis animis
est totum totum animo, 7. Virtutes intellectuales manent in ani-
ma post discessum à corpore. E. non in phantasiis, quæ
pereunt: E. in intellectu. Majorem probatam luculenter lege
7 apud Casum, in spe, Mor lib. 6. in conclus. c. 16. Mireris + for-
san qua ratione intellectus, qui potentia animæ & accidens, cur
qualitas, possit esse subjectum. Mirum hoc non est subjectum enim
tripliciter ad accidens comparatum est. Vno modo sicut præbens
ei su-

si sustentamentum, quia accidens per se non subsistit, sed fulcitur
per substantiam; alio modo, sicut potentia ad actum; tertio
modo, sicut causa ad effectum. Thom. q. 3. de virt. Quantum
ad primum, unum accidens non potest esse subjectum alterius:
quantum ad reliquos modos, unum accidens se habet ad aliud
per modum subjecti. Unum accidens saepius in potentia ad alte-
rum, sicut superficies ad colorem: unum accidens etiam causa al-
terius, & per hunc modum dicitur accidens accidentis subjectum,
quia principium est accidentis mediante altero, & sic potentia
animae habitus subjectum dicitur ab Aristotele & 3. de
anicon. 3. intellectus susceptivus specierum & cont. 6. locus for-
marum. Instas, & substantia aeterna non est accidentium mutabi-
lium subjectum: Intellectus est substantia aeterna; habitus ac-
cidentia mutabilia. E. Restringas majorem ad istas substantias,
quae ab omni penitus materia sunt abjectae, quae accidentia mu-
tabilia recipere non possunt: substantia vero aeterna, corpori alligata
caduco & ab eo naturaliter, quodam modo pendens, qualis
est anima & intellectus humanus, qui corpori alligatus objecta
sua, quae judicat, ei accepta fert, sine ulla dicentis absurditate,
recipere accidentia mutabilia potest, & ab. de spec. intell. c. 10.
Pererius lib. 4. c. 11. Addis & intellectum, qui forma est, non
posse accidentium esse subjectum. Distinguas inter accidens ma-
teriale & spiritale. Forma non est subjectum accidentis mate-
rialis sed spiritalis. Ex his & liquet, vanam esse illam recenti-
orū sententiam, quando dicunt, servari habitus, quatenus phan-
tasmatum imagines in memoria servantur, à quibus potest in-
tellectus intellectionem recipere, quando cunq; ad phantasiam se
convertit; habitus istos solum in parte animae sensibili hoc modo
statuentem: quia nullam afferre rationem possemus, cur cog-
nitio naturalium sit magis in animo Philosophi non contemplantis
actu, quam in animo idiotae cujusdam, cum phantasmata rerum
particularium aequè in utriusq; animo esse possint, quare nisi
dicamus, intellectum Philosophi majorem habere aptitudi-


neto

nem contemplandi universalia & rerum essentias, quam intel-
lectum idiotæ, nullam afferre possumus rationem, cur magis ille,
quam hic habeat in animo naturalem scientiam fixam, tanquam
habituam. Zab. desp. intel. c. 8.


QUÆSTIO X.

An supplicia debeant esse publica?

1. Omnem + animadversionem ad reip. utilitatem referri
debere eleganter elegantissimus Cic. lib. 3. off. An E. ex usu reip.
2. sit, privatim, an publicè ut plectantur rei, ambigitur. Posterius +
membrum arridet nobis obsequentes causas. 1. Quia manife-
stum ut sit, requiritur & crimen & supplicium, ne forsan suspi-
cio aliqua injuriæ suboriatur, cum omni populo malignum quid
& querulum in imperantes insit, Lipsius 4. Polit. c. 11. 2. quia
pœna infliguntur non tam ob præteritum facinus, quod infe-
ctum fieri non potest, juxta vulgare elogium, quam propter fu-
turum, ne scilicet vel is qui ante commisit, tale quid iterum com-
mittere audeat, vel ut & ceteri quoque vitij deterreantur.
Plato in Protagora, ut non tam rei pereant, quam ut alios per-
cundo deterreant, Seneca lib. 1. de Ira, ut utriusque reddantur
meliores, illi dolore, hi exemplo. Plato in Gorgia. Ut enim ful-
mina omnium metu, paucorum periculo cadunt, ita animadver-
siones terrent latius quam nocent. Sene. 1. de Clem. c. 8. 3. Ac-
cedit mos majorum, qui in animadversionibus servandus, juben-
te Arist. 5. Pol. c. 11. Sint moribus receptoque ritui maxime con-
formes pœnae Lipsius 4. pol. 11. Moribus receptum autem est,
3. in loco publico dare pœnas. Probè + tamen hic inspiciendum
monemus reip. cujusque statum, Nam tempore seditionis princi-
pem omnibus indistinctè supplicia irrogare posse negamus,
quin potius seditionis rei & ij, qui populo chari,
privatim sunt plectendi.







DISPUTATIO VIII,
Centuriæ Quartæ

QUÆSTIONUM
ILLUSTRIUM PHI-
LOSOPHICARUM

In Inclitâ VVitebergensi Academiâ
Proposita
PRÆSIDE
M. Jacobo Martini
Logices Profefs. Publ.
RESPONDENTE
CONSTANTINO VVECKE
RO Laubano

*Ad diem 9. April. horis à 6. matuti-
nis in auditorio collegij veteris.*

WITEBERGÆ,
Excudebat Martinus Henckelius,
Sumptibus Pauli Helvvigij Bibliop. Anno
M. DC. VIII.

